FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS...

Franz Ernst Bruckmann

Digitized by Google

FRANCISCI ERNESTI BRÜCKMANNI,
PHIL. ET MED. DOCT. &c.

EPISTOLA ITINERARIA XLIX.

DE

SIGNIS VRBIVM MNEMONICIS.

AD

VIRVM EXCELLENTISSIMVM, CONSVLTISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM DOM.

DOMINVM

CHRISTIANVM NETTELBLADT,

I. V. D. ET PROFESS. ORDIN. GRIEFSWALD. CONSILIARIVM CONSISTORIAL. REGNI SVECIÆ, IVRISCONSVLTVM ET HISTORICVM INCOMPARABILEM,

FAVTOREM OMNI HONORIS CVLTV NVNQVAM NON PROSEQVENDVM.

CVM FIG. ÆNEIS.

WOLFFENB. MDCCXXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIR EXCELLENTISSIME
ATQVE
CONSVLTISSIME,
FAVTOR COLENDISSIME!

SIgna urbium mnemonica, vulgo *Wahrzeichen*, plurima, *Vir Excellentiſſime*, obſcuram, vel plane ignotam, originem habent. De multis relationem quidem quandam, fabuloſam tamen, & absque vero originis, fundamento, inaudivimus. Seniores mechanici quibuscum de his colloquuti ſumus, iſta plane non æſtimant ſigna, non eſſe poſitiva, recte perhibent, ſed ſaltim ſcopticæ inventiones & cavillationes artium mechanicarum ſtudioſorum, qui

Digitized by Google

hiſce ſeſe invicem iniuſte vexarent, ad inquirendum, an hic vel ille ſodalis peregrinabundus hunc vel illum locum, hanc vel illam urbem, id itineribus viſitaverit? Sed ſæpe numero rixandi occaſionem & materiam altercationum nec non verberationum cruentarum certe dant; a verbis non raro ad verbera fit tranſitus. Præterea traditiones horum inſignium ut plurimum fabuloſæ ſunt, perplures offendunt aures caſtas, perplures ſapiunt meras coniecturas, pauciſſimæ dant documenta apodictica hiſtoricas veritates probantia. Nulla tamen non ſigna antiquitas cana veneranda, non ſine præmeditatione & incogitantia, invenit & poſteris reliquit. Ex multis quædam nota, & partim a nobis viſa, in ſcenam, ordine alphabetico, proferre ſaltim lubet.

Antri Bumanni, in Sylva Hercynia, omnibus noti, ſignum memoriale eſt *monachus* quidam *lapideus*, ex aqua ſtalactica a natura ludente confectus, quatuor vel quinque pedes altus, in camera quadam ſ. ſacello huius ſpecus viſendus. Hæc ſtatua ſic dicta, quia præſentat monachum, quod ad capillum capitis, deraſum, ornatu monaſteriali & orbe raſo indutum. conf. Behrends Hercynia curioſa. p. 16.

Antri Scharzfeldiaci ſignum legendum in Ep. Itiner. XXXIV. de hoc antroperſcripta.

Argentoratum plura habet, quæ recenſentur in Burnets *Reiſen durch die Schweitz und Italien.* Part. II, p. 271.

Atrebatum, *Arras*, urbs Belgii Hiſpanici celeberrima, loco ſigni mnemonici ſupra portam monſtrat *cattum murem* inſequentem. Cum adhuc ſub imperio ſuperborum Hiſpanorum urbs viveret, hi impoſſibile fore, ut caſtellum iſtis raperetur, putabant, hinc cattum in lapidem incidi curabant proſequentem murem, addito lemmate:

Les François prendront Arras, lorsque ce chat prendra le Rat.
Wenn dieſe Maus von dieſer Katze wird gefangen werden, ſo werden die Frantzoſen Arras einnehmen.

Cum vero Anno 1640. Galli hoc caſtellum expugnaſſent, delebant literam primam p. in voce prendra, & ſic manebat vocabulum rendra, & ſic ſenſus tunc erat:

Wenn

Wenn dieſe Katze dieſe Maus fangen wird, ſo werden die Franzoſen Arras wiedergeben.

Auguſta Vindelicorum pro ſigno mnemonico in curia habet virginis exactæ ætatis ſtatuam, cui aranea pudendorum orificium, quod anatomici rimam magnam vocant, telis ſuis ſubtilibus artificioſis obduxit.

Blanckenburgi, ad fauces Sylvæ Hercyniæ, fons quidam in arce Ducum Brunſuicens. montana prœalta, loci ſigni mnemonici, habetur. Hic perennis puteus jugis aquæ, tempore, quo Comites Blanckenb. dominatum hic loci tenuerunt, ante aliquot ſecula per rupes duriſſimas in profundum cæſus, hoc peculiare præ reliquis fontibus habet, quod a terræ ſuperficie usque ad profundum aquæ ſcala vel cochlidium ducat. Sunt, qui hanc proferunt traditionem, ex hoc loco viam eſſe per ſubterraneum quendam cuniculum (in præſenti vero non amplius permeabilem, ſed quibusdum in ſpatiis prolapſum & ruinoſum) usque ad montem Sionis, vulgo *Müntzenberg* dictum, qui Quedlinburgi, duobus Blanckenburgo milliaribus diſſiti, videndus. An traditio ſit veriloquium? nec ſcire, nec dicere poſſumus.

Bambergenſia, ſigna, vid. in Epiſt. Itin. VIII. Siſt. Memorabilia Bambergenſia.

Conventria St. Couentre, *Couentry*, urbs Magnæ Britanniæ in Comitatu Varvicenſi *coſtam* & *ſcapulam urſi*, qui aliquot retro ſeculis a comite Guy ſ. Guydone Varvicenſium occiſus, habet. Coſta a natura ſemicirculum refert, & admodum craſſa eſt, ita ut ambabus manibus vix poſſit comprehendi, ab una extremitate usque ad alteram plus orgyiam lata; ad domum quandam appenſa. Scapula triangularis, ab uno angulo usque ad alterum ad figuram rotundam inclinat, duos cubitos lata, proxime ad urbis portam ſuſpenſa. Hæc duo oſſa ſunt nominatæ urbis ſigna mnemonica, ob quæ peculiaribus & privilegiis & juſtitia fruitur, quorum oſſium altero perdito, & libertates urbs amitteret. Noſtro judicio hæc ſcapula & coſta nunquam urſi fuerunt oſſa, ſed potius Ceti vel Elephantis, qualia & alibi variis in locis ſuſpenſa, pro gigan-

Digitized by Google

tum oſſibus tradita, vidimus. Qualis enim & quanta urſi moles & machina, quæ iſtiusmodi permagnis gaviſa, oſſibus? Conf. Mart. Zeillerus in Itinerario Magnæ Britanniæ. p. 280.

Dantiſcum, Poruſſici regni metropolis, in atrio quodam alto aulæ nobilium, vulgo *des Junckern-Hofes*, fornacem habet ferream proceram, in qua anus, quæ peregrinatorum opificum ſignum urbis mnemonicum eſt, a tergo poſteriora corrugata in ſpeculo intuetur.

Dobſchina, vulgo *Topſchau*, oppidulum Hungariæ ſuperioris montanum in Comitatu Scepuſienſi ſitum, ſignum mnemonicum ad organa pneumatica in templo, nempe virum ſubſidentem, qui in ollam inſpicit, (*ſchauet*:) & quem quoque dictum oppidum in inſigni habet, monſtrat. Variæ hujus dantur etymologiæ, quarum autem ſequens optima eſſe dicitur: quod, cum oppidulum ex montibus præaltis, qui undique ex utroque latere iſtud ambiunt, adſpiceretur, inſtar ollæ oculorum lumini aperto videretur.

Dresdam veterem & novam diſterminat pons longiſſimus, præſtantiſſimus, nulli hodie in Germania cedens, ſub quo Signor Matthæus Fotius ſignum urbis mnemonicum conſtituit.

Duobus Quedlinburgo, Islebam verſus, milliaribus diſtat oppidulum *Ermsleben*, quod ab Hermete i. e. Mercurio, qui in paganiſmo hic religioſe cultus, nomen habet; hujus ſignum mnemonicum eſt ſilex durus prægrandis albidus, quinque præterpropter ulnas longus, duas latus & unam altus, in foro publico ante curiam videndus, ex omni latere plus millæ capitibus (numerus incertus pro certo poſitus) clavorum ferreorum variæ magnitudinis & figuræ, qui in lapidis præduram ſubſtantiam intruſi, refertus & obſitus. Hi clavi dicuntur ſaltim ſui immiſſionem in lapidem admittere, quando poſt longiores pluvias & tempeſtates madidas aliquo modo mol-

Digitized by Google

mollior redditus. Traditionem incolæ ſequentem habent: gigantem quendam (quem vulgus vocabulo in Saxonia inferiori recepto, *einen Hünen* vocat) hunc lapidem hic loci poſuiſſe, his verbis: quoddam arenæ granulum ſibi in calceo moleſtum eſſe, &, calceo detracto & inverſo, hunc ſilicem ex eo hic loci excuſſiſſe. Certe permagnus fuerit calceus, in quo eiusmodi arenæ granulum, uti hic lapis eſt, ſpatiolum ſufficiens habuerit? Alii perhibent, hunc lapidem eo tempore, quo hic locatus fuerit, mollem inſtar argillæ, fuiſſe, & tunc facile clavi in iſtum intrudi potuiſſent. Apelius in Antiquitatibus mentionem eius fecit, ſed ficte retulit, hodierno tempore iſtum ſub continuis vehementioribus tempeſtatibus adeo molleſcere, ut clavi in iſtum intrudi poſſint. Olim hic ſilex maleficorum aſylum fuiſſe dicitur. Prope *Aſcaniam*, quæ uno a dicto oppidulo lapide diſtat, eiusmodi ſilex, *die Speck-Seite, oder Butter-Stein* dictus, in agro quodam æque reperitur, undique in peripheria clavis refertus. Perſuaſi ſumus, perplures eiusmodi lapides in his viciniis obvios fore, in quos, poſt longam pluviarum ſeriem, clavos adigere poſſemus, ſi operæ pretium eſſet, iſtos quærere, & uſus aliquis inde lucrativus ſperandus. conf. Relatio noſtra de hoc lapide *in dem Breſslauer K. und N. Geſchicht.* item Otto Binroth de lapide Ermislebienſi. 4t. Halberſt. 1615. 1625. quem vero librum nullibi hactenus locorum videre contigit.

Goslariæ ſtatua parva ad domum publicam, *die Wordt und Gewandſchneider Gilde-Hauſ* vocatam puerulum, ſubligaculo detracto, podice nudo, ex gutture inferiori cumulum nummorum aureorum, quos Ducaten appellamus, deponentem, vulgo den Ducaten-*Scheiſſer*; repræſentat. Exactæ ætatis homines nominatæ urbis hanc a maioribus ſuis acceptam exhibent traditionem. Imperatorem Ottonem aliquando, recreationis ergo, in Sylvam proximam Hercynicam ambulaſſe, & cum de via deflexiſſet, caſu puerulum, caligis detractis, fimum ventris egerentem, offendiſſe; Ex hoc puero Imperator requiſivit: ubi locorum eius parentes habitarent? hic autem, cui formido incuſſa

erat

erat, nullum Imperatori dedit reſponſum, ſed retroivit & podicem ſic denudatum ſ. v. ei obtulit; Imperator clemens minime bilem in iſtum evomuit, ſed patienter exſpectavit, donec puerulus caligas rurſus ligaverit & parentes ſuos quæſiverit, quem Otto ſemper comitavit usque ad caſam quandam parvam venatoriam, in qua parentes dicti pueruli invenit. Hos de recta via Goslarienſi rogavit, ut ad iſtam eum reducerent, addito præmio, ſe velle iſtis meliorem donare domum, quam in ſylva relinquerent venatoriam. Imperator ad urbem pedibus reportatus, ſupra nominatam magnam domum, *die Wordt* appellatam, conſtruxit & pueruli parentibus pro habitatione dono dedit, puerulum vero eadem poſitura, qua ſedentem in ſylva & alvum deponentem primum offenderat, ſculptum domui addidit, & in memoriam poſterorum, quod parentes ſuos, corpus deonerando ſ. v. felices reddiderit, ducatos aureos, loco alvi excrementorum, apponi curavit. Hæc domus ab initio *die Warte*, poſtea autem *die Wordt*, appellata. An relatio ſit vera, an fabuloſa? non ſatis conſtat, interim melior & veriſimilior ex documentis hiſtoricis, quæ deficiunt, proponenda non adeſt, neque, vera, ſi quæ ſit, hiſtoria nota. Sunt & Goslariæ, qui dictam parvam ſtatuam ludibundam & jocoſam inventionem lepidi cujusdam lapidicæſoris eſſe putant. Ad templum S. Jacobi ibidem ſtatua lapidea virginem religioſam, quam *Nonne* vocant, cum leone exhibet. Vulgus & tectum vitreum ad d mum, quam vocant *der ehrlichen Cramer Gilde-Haus*, pro ſigno habet mnemonico; it. tectum mœnium, quæ totam cingunt urbem, ſub quo unico tecto 3000. loculi numerantur, & ſub quo homines in tuto, ſecuri a pluviis, nive & vento ambulando circumire poſſunt Goslariam.

Gotha in technophylacio ſpectatus quædam anus, cujus facies paſſa rugoſior uva, quæ emeritum ſuum fumarium, *Räucher-Cammer*, ſitu, ſqualore ac rubigine corruptum, videntibus detectum offert, &, ſimul ſupercilio ſubridente & vultu interblandiente, circumſpicit. Poſitura hujus annoſæ vetulæ certe admodum impia & profana!

Hafnia

Digitized by Google

Hafniæ ſignum memoriale eſt ſtatua iſta miranda, virginem nudam, cujus corpori cygnus roſtro, quod in os virginis immiſit, firme adhæret, exhibens, Hafniam inter & Chriſtianshafen, in alta columna in profundo aquæ fundata. Explicatio hujus ſtatuæ incerta eſt, nec nobis conſtat.

Halæ Saxonum pro ſigno mnemonico monſtratur aſinus, ad templum Divæ Mariæ virgini dicatum in turri rubra, ſuper tabulam ſtudioſorum nigram, *das ſchwartze Brett* dictam, in lapidem inciſus, in roſas incarnatas pedibus ambulans. Hoc ſignum dicitur vilitatem annonæ, quæ tempore ædificationis templi hic loci fuerit, annotare.

Halberſtadii ſtatua magna magni *Rolandi* in foro adeſt pedeſtris. Hic Rolandus comes de Maine fuiſſe perhibetur, qui, tempore Imperatoris Caroli M. cujus nepos ſ. filius ex ſorore Bertha fuit, fortitudine ſingulari in bello contra Saracenos ampliſſimam ſibi acquiſivit gloriam & apud omnes ſummam laudem. Inter alios, quos ferro ſuo tradidit, & prægrandem telluris juvenem, Ferracutum, ex Goliathi familia ortum, qui ex Syria advenit & tantum, quod ad umbilicum, vulneribus afficiendus, de medio, finita prius prolixa cum iſto de vera religione ſalvifica Chriſtiana, diſputatione, ſuſtulit. Poſt hæc iterum Anno 809. in montibus Pyrenæis ad Ronceval armis confligebatur, in qua conflictatione quidem Rolandus Saracenos in fugam dedit, ſed ſimul, mortifera plaga confoſſus, præ ſiti arida animam fortem efflare coactus fuit. Ante ultimum vitæ ſpiramentum ſemianimis taratantara tubicinavit, cujus tubæ clangorem Carolus M. licet octo milliarium ſpatio ab iſto moribundo remotus, perſpicue auribus percepit, ſed Rolandus ipſe, his fortioribus conatibus, ſibi omnes colli venas & quoque viſcus quoddam in corpore dilaceravit; buccina vero, licet ex metallo ſolido conflata fuerit, per medium diſrupta. Hujus invicti herois cornu, ut pretioſus

Digitized by Google

tioſus theſaurus, Volcati in Languedocia aſſervatur. Gladium quoque incomparabilem, nomine Durenda, geſtabat, qui, licet iſte ſtrenuus vir marmor duriſſimum & craſſiſſimum per medium hoc diſſecuerit, nec hebes factus fuit, nec ſerram unquam accepit. An varia in variis Germaniæ locis erecta Rolandi ſimulacra ſint certa libertatis certæ ſigna? confer. Paullini *Zeit kürtzende erbaul. Luſt. Part. III. p.* 1244.

Ad templum Mariæ Virginis, *an der lieben Frauen-Kirchen*, machæra ferrea pervetuſta & rubiginoſa (ulnam potius ferream, quam gladium repræſentans) pendet, quæ, cum, quod ad ſui enchiridium attinet, annulo quodam ferreo ſuſpenſa, nunquam non ab äere & vento movetur, nec unquam quieta manet. Traditionem de hac ſequentem dant: filium quendam iſta patrem ſuum vita privaſſe, & gladium quotannis die, quo parricidium peractum, in callendario recurrente, aliquot ſanguinis guttulas deciduas emittere & lacrymas cruentas plorare. Vulgus deſipiens & pueri imprudentes interdum iſto die ad excipiendas guttulas huic lintea in terra ſuppo nunt.

Ad turrim templi cathedralis ibidem in alto laterna ma gna lapidea, in qua ſingulis noctibus candela ardens lumin ſpargit, pendet. Dicitur eſſe legatum quoddam cujusda virginis, quæ nocturno tempore, cœlo atro, extra urbe Halberſtadium de via deflexerit & aberraverit.

Oppidulum Ducatus Magdeburg. *Neu-Hollensleben* ctum, Anno 1723. die 29. Jul. pertranſivimus, in hujus f ſtatua lapidea Rolandum, Caroli M. nepotem, (cujus tum lus honorarius Arelati in Provincia Galliæ monſtratur) ec inſidentem, ut vulgus tradit, viſendum exhibet. Sed ſtatua, quæ non attingit magnitudinem hominis & equi o nariam, minime in honorem Rolandi erecta fuit, ſed po a Duce Brunſuicenſium, Henrico Leone, poſita, quem c

que fortiſſimum Principem hæc ſtatua præſentat. Cum vero ſtrenuus hic heros fortuna perculſus, & quilibet partem quandam de ejus regionibus vi ad ſe raperet, epiſcopus Magdeburgenſis dictum oppidulum, quod tunc temporis Comitatus erat, abſtulit, quodque poſtea tunc ſemper ad Ducatum Magdeburg. permanſit. Rudes in Hiſtoria, ex ſtatua Henrici Leonis, ſtatuam Rolandinam fecerunt.

Hamburgum bina habet ſigna mnemonica 1) in templo cathedrali exiſtit epitaphium, in quo aſinus utriculari tibia ſe exercet, de quo vide P. L. Berckenmeyeri Antiquarium curioſum Europæum. p. m. 495. cum figura epitaphii & aſini. 2) Adeſt virunculus, ex inſignibus urbis Hamburgenſis ſuper portam Altenavienſem proſpectans; termini hujus urbis tam longe patent, quam hic vir iſtos oculis animadvertere poteſt.

Hannovera lapis ſepulchralis magni cujusdam Chriſtophori, qui ſereniſſimo Duci, Joh. Friderico, a ſervitiis fuit, in cœmeterio urbis novæ, vulgo *Neuſtädter Kirchhoff*, miratur, in hoc ſequentia legenda: Anno Chriſti 1632. im Monath Junio iſt Chriſtohffer Münſter im Dorff Farloſen Amts Münden in dieſe Welt gebohren, und Anno 1676. den 9. Auguſt. zu Hannover in GOTT ſelig verſchieden und allhie begraben, ſeines Alters 44. Jahr, 2. Monath. Seine Länge iſt geweſen 4. Ellen 6. Zoll. Leich-Text aus dem Marco 7. Der HERR hat alles wohl gemacht. Beatus Præſes ærarii ducalis, Dom. de Grote, cum dicti divi Principis ſponſam ſereniſſimam ex Gallia Hannoveram duceret, in reditu ad pagum jam nominatum hominem giganteum, porcorum familias cuſtodientem, invenit, iſtumque ob ingentem & quadratam corporis ſtaturam ſecum in dictam urbem ire juſſit, & divo Principi Johanni Friderico dono dedit, qui iſtum ſcroſipaſcum pediſſequum conduxit, habitumque aliorum ſervorum ei, ſed abs-

que ſervitio præſtando, conceſſit. Plura de iſto quadrato ordinariam & conſuetam hominum longitudinem excedente homine, reſciſçere, omni opera fruſtra adhibita, non potuimus. Secundum ſignum mnemonicum eſt magnus quidam Actæon, cornua deaurata in fronte gerens, in puteo curiali fori publici poſitus, venabulo ſuo certam quandam domum monſtrans. Et tertium, ad portam fabrorum in horologio ſunt duo hirci, qui, quoties horologium ſonat, cornibus ſuis caput quoddam magnum humanum arietant.

Heidelberga ſ. *Myrtillorum Mons* in celebrato ponte, *die Neckar-Brücke* dicto, qui variis inſidet columnis & tecto ſuper obrutus, olim, ante ultimam urbis devaſtationem, loco ſigni memorialis, ſimium ætate provectum, ſub quo hæc diſticha legebantur:

Was thuſt du mich hie angaffen?
Haſt du nicht geſehen den alten Affen?
Zu Heydelberg, ſieh dich hin und her,
Da findeſt du wohl meines gleichen mehr.

Habuit. Præterea hic loci videndum permagnum iſtud vas, toto orbe celebratum, vino repletum, in quo ſigna mnemonica ſunt ſimia, noctua & leo ſine lingua vid. plura de hoc ſtupendo vaſe in Talanders Cur. und Hiſtor. Reiſen durch Europa p. 966. it. Kayſers Hiſtoriſch. Schau-Platz der alten berühmten Stadt Heydelberg. 8v. Fr. 1733. cum fig. vaſis.

Königſteinium, caſtellum ad Albim valentiſſimum, pupam cœleſtini ordinis monachum, cum habitu ordini conſueto, referentem offert. Quod ad hoc ſignum Lapidis Regii mnemonicum attinet, iſtud non pro vero, ſed potius pro ludicro militum ſigno invento habemus, qui advenis, ut aliquot groſſos lucrentur, talem pupam dono dant. Verum autem eſt, monachos, Cœleſtini ordinis regulas ſequentes, in hoc monte olim habitaſſe. Oppidulum ſitum eſt in plano ad

ad montem, & caſtellum ibidem in altiſſima rupis parte jacet. In hoc propugnaculo cum omnis generis homines habitent, qui peregrinis viſu digna monſtrent, v. g. præfectus vigilum, quem *Wachtmeiſter* vocant, munitionem & mœnia caſtelli oſtendit in templo æditunus anathemata; in armorum officina tribunus armamentarius ferrum armaturamque; piſtrinam monſtrat panifex; in officina cereviſiaria fontem, ex cujus profundo aquam, mediante permagna rota petunt, coctores cereviſiarii oſtendunt, &, præſentibus advenis, aquam in altum ex puteo trahunt; In cella vinaria ſtupendæ magnitudinis vas, uvarum ſucco refertum, ab œnopola, *Weinküper*, qui vinum ex eo tractum, in magno vitro peregrinis in ſalutem & longævitatem Regis Polon. & Elector. Saxon. bibendum præbet, monſtratur; lectorum cuſtos, *der Bettmeiſter*, ædificia & horum concamerationes aperit. Quilibet horum perlibenter & ex animo munuſculum, *Trinckgelt*, ab advenis accipit. Et ſic forſan quoque quidam ex grege militum, qui Zonarius eſt, pupam in forma monachi, Cœleſtini ordinis, ex corio violaceo facit, quam viatoribus offert, dicens: domini honoratiſſimi! nolite recuſare ſignum Lapidis Regii mnemonicum, quod vobis devote offero. Advenæ putant neceſſe fore, ſecum ut portent hanc pupam, & dimidium pro iſta florenum ſolvunt. Hic monachus ita confectus, ut in medio, inſtar burſæ, poſſit diduci, & caligæ exhibent dictam burſam, quæ in medio ſe contrahunt, his annexum eſt membrum virile cum pilis in parte verenda exornatum; Monachus, quem poſſideo, præſentat pupam ligneam ſ. virum facie ſenili & rugoſa, veſtitu Cœleſtini ordinis ex corio violaceo confecto, quo magnus penis coloratus & crinitus tegitur, indutum? adjecta iſtum in magnitudine ſua exhibet figura. Fig. I. Tab. I. Viatores hanc monachi pupam ſaltim in ſexus ſequioris jocum emunt, & miles ſic colligit nummos. De hoc ſigno ſequens narratur hiſtoria: duo Angli, qui aliquando hoc caſtellum viſitaverant, in Belgio in taberna, in qua potus Caffe, parata

 pecunia,

pecunia, hoſpitibus bibendus præbetur, cum Belga quodam ex itineribus ſuis factis ſermones fundunt, interque alia, ſeſe vidiſſe inter plura in Saxonia memoratu digna & Lapidem Regium, caſu referunt. Belga ſtatim ex iſtis quærit: vidiſſentne & ſecumne portaſſent ſignum dicti Lapidis memorandum? hi reſponſum dederunt: quale, nec ipſis hoc notum eſſe? hui! hui! Belga ſtatim reddebat: Hoc ſignum eſt monachus, quem in viſitatione caſtelli miles quidam advenis pro munuſculo offert. Angli, hanc pupam ſibi quidem oblatam, ſed ſeſe iſtam, ut rem indignam nulliusque pretii, repudiaſſe, memoria repetunt. Quapropter literas ad quendam amicum Dresdam miſerunt, & ab eo ejusmodi pupas, parata pecunia, expetiverunt, qui quoque iſtis dodecadem iſtorum monachorum procuravit, curſuque publico transmiſit. confer. Colloquia Ducis Rouquelor & imperatoris belli Kiow in Regno demortuorum. Part. I. II. III.

Lanshuta, inferioris Bavariæ urbs, ad templum canonicorum cathedrale habet turrim altiſſimam, cujus ſignum mnemonicum eſt caput mortuum ſuper portam. Signum urbis *Lipſienſis* ad templum St. Nicolai, orientem verſus, videndum, nempe ſolea ferrea equina, quam equus cujusdam Imperatoris belli Manteuffels dicti, dum equo murum transcenderit, ad- & in muri ſaxa impegit. Proſtat quidem diſſ. quædam academica de Inſignibus Lipſiæ, a nobis hactenus nondum viſa, in qua hoc ſignum urbis mnemonicum, & aliud adhuc, in effigie cernitur, ſed traditionis dictæ nullum affert verbulum.

Lubeca, celeberrima & libera urbs Imperialis, in templo St. Mariæ dicato exhibet murem ſub foliis obſoletis radices arrodentem.

Lugdunum, *Lyon*, urbs in agro Lugdunenſi Galliæ ſplendida, ad portam templi St. Johanni dicati ſignum mnemonicum,

Digitized by Google

nicum, nempe quatuor lepores habet, quorum quilibet quatuor gaudet auribus, & interim tamen intuens non poteſt plures, quam quatuor, numerare aures.

Magdeburgum in templo cathedrali canonicorum exhibet (1) in choro alto monaſterium ex ligno ſculptum, ad quod monachus virginem quandam religioſam humeris ſuis portat; diabolus autem, janitor, portam aperiens, amantes in id introducit. conf. Die eigentl. Beſchreibung der Weltberühmten Dom-Kirchen zu Magdebung 4t. 2) Judæum ſupine in terra recumbentem, & ex ſuis, porcellorum matris, mammis lutulentis lac ſugentem.. Hoc ſignum in templo ſub turri dextrorſum proſtat. Tab. I. Fig. II.

Marpurgum in ſic dicto St. Eliſabethæ ſacro templo, loco ſigni memorialis, lapidem, quo ſub lotione iſta Diva uſa fuerit, monſtrat. Hic lapis, admota manu, ſtatim ſub iſta madet & ſudorem emittit. Hic ſudor non eſt ſudor lapidis, ſed manus, minime miraculoſus, ſed naturalis, & omnes lapides politi frigidi, inprim. marmora, admota manus palma, ſudore madent, exhalationes enim manus gelu lapidis condenſatæ in iſto apparent; & marmora ex loco frigido in calidum transportata, abſque miraculo, ſtatim madeſiunt. Ad hunc lapidem St. Eliſabetha ex proximo ab ipſa quoque appellato fonte Eliſabethino ante portam Marpurgenſem pauperibus linteamina lavando depuravit.

Maslenſe oppidum Sileſiæ olim ſodalibus artium, loco ſigni mnemonici, dedit dumetum, *einen Hayn-Dorn*, quod per ſecula multa & ſenectutem in arborem denſam & calloſam excreverat, in circumſcriptione menſuræ $1\frac{1}{2}$ orgyæ, quæ vero nunc arbor interiit. In hujus locum mons urnarum, vulgo Töppelberg, reaſſumtus, & Reverendiſſ. loci Paſtor, doctiſſimusque ſenex, Hermannus, conſenſu domini principatus

ſigillum

ſigillum ſenatus antiquum relegavit, & novum, in quo mons urnarum cum tribus collibus, in quibus urnulæ gentiles ſepulchrales viſuntur, ſculptus, adinvenit, quod in præſenti judicium & curia utitur. confer. Ejusd. Maslographia.

Merſeburgum, in ſacrario templi Canonicorum cathedralis, in hunc usque diem aſſervat manum Rudolfi, Suevici Regis, in quarto prælio cum Imperatore Henrico IV. ad Elyſtrum commiſſo amputatam, atque ita exſiccatam, ut putredinem non contrahat. Unguibus humanis alicubi arroſa videtur, quod an ſuperſtitionis, an vero curioſitatis cauſa factum ſit, compertum non habemus. Vid. ſpeciem ejus æri inciſam. In loco, ubi cippum dicti Regis quæreres, hodie cacabula vino Hungarico repleta, conſpicies. Sub his cacabulis autem oſſa Rudolfi adhuc quieſcere manus lapidi inciſa, quam una cum adumbratione ſacelli ſubterranei depingendam curavimus, ſatis teſtatur. conf. M. Jo. Sam. Strauſſii, Diaconi Merſeburg. poſitiones hiſtoricæ de Rudolfo Suevico anti-Cæſare, cuius manus in prælio amputata, Merſeburgi in templo cathedrali aſſervatur. 4t. Halæ 1728. c. fig.

Fig. I. Fig. III. Tab. I. Fig. IV.

Nobiliſſima & magna imperialis urbs, *Norimberga*, ſequentia profert ſigna mnemonica:

1. Taurum permagnum, ex lapide exciſum, qui nunquam fuit vitulus, in ponde quodam, *Fleiſcher-Brücke*, ſtantem. Quær. quisnam taurus nunquam fuerit vitulus? Reſp. Iſte lapideus in macello Norimbergenſium, juxta quem hi verſus leguntur:

Omnia habent ortus, ſuaque incrementa; ſed ecce!
Quem cernis nunquam bos fuit vitulus.

Schau dieſes Bild von Stein, und was daran zu leſen:
Wie nemlich dieſer Ochs niemals ein Kalb geweſen.

2. Ad

2. Ad pontem *Schüler-Brück* dictum fœminam quandam giganteam coloribus pictam, cui ex pudendis par pedum humanorum pendet. Sunt qui referunt, quendam tabernæ ſutrinæ alumnum totum fuiſſe in amore gigantinæ huius fœminæ, quæ quoque iſtum admittere & ei coitum permittere voluiſſet, pro quo peculiari favore dictum ſutorem par ſandaliorum ſe ei velle dono dare promiſiſſe, quæ etiam adpicta hic viſuntur. Cum vero parvus, quod ad ſtaturam, homulus fuiſſet, pudenda vero huius proceræ perſonæ, ſecundum reliquam corporis proportionem, admodum ſpatioſa, totum iſtum pauperculum in pudoris ſinum immiſiſſet, ut nil, præter pedes propenduli, extra remanſerit. Alii vero perhibent, hanc magnæ molis fœminam promiſiſſe, ſe velle in lucem partu edere infantem, qui ſtatim pedibus induere poſſet tam magna ſandalia, quam hic adpecta forent.

3. Annulum in cancellis ferreis ad perpulchrum fontem in foro dominorum, qui unicus tantum mobilis eſt. Incolæ tradunt, quendam maleficum vitam ſibi ſervaſſe, dum unica nocte iſtos cancellos, mali dæmonis ope, fabricaſſet. Sed credat Judæus apella, non ego!

4. Perſonam ſequioris ſexus ex metallo conflatam, quæ ex poro corporis maximo, nempe pudendis, claram aquam mittit, ad fontem magnum & ſpecioſum adhuc erigendum. *Patavium*, *Paſſau*, olim a Romanis *Caſtra Patava* dictum, urbs ob pacem religionis Anno 1552. ibi ab Imperatore Carolo V. & Electore Saxon. Mauritio compoſitam, hinc Paſſauer-Vertrag dictam inſignis, prope ad Baſilicam in muro quodam pervetuſto habet caput admodum magnum, lapideum, cum facie humana ulnæ menſuram ſuperante, cuius os duas ſpithamas diſtat, reliquæ partes, ſecundum hanc proportionem, ſculptæ ſunt. Vir quidam monſtroſo tali capite & ſubgrandi facie hic olim vixiſſe perhibetur. Caput hoc lapideum vulgo dicitur, *der Pauſſauer Toelpel*, vel *Ochſen-Kopf von Paſſau*, &, cum cum incolæ

colæ urbis incivilitatis nec non ruſticitatis nota mactentur, hinc homines impoliti & agreſtes proverbialiter, *Paſſauer-Toepels*, dicuntur. Inquilini hunc contumeliarum aculeum perferre nolunt, ſed, quando quis ex iſtis quærit: ubinam videndus ſit Pataviensis truncus, *der Paſſauer Toepel?* iſtum ad hoc caput adducunt, dicentes: aſpice recte hoc caput & ſic truncus unus alterum ſtolidum mirabitur!

Schau ihn recht an,
So ſchaut ein Tölpel den andern an.

Peregrinus quidam in hoſpitio Paſſavienſi cauponarium interrogavit: poſſetne videre famoſum truncum Patavienſem? hic protinus reſponſum dedit: utique! & ſimul rogavit, ut corporis tegumenta, quæ depoſuerat, ſibi & veſtes prius indueret; quo facto, hoſpes nequam dominum extraneum ad ſpeculum duxit, ab eoque petivit, ut in iſtud vitrum introſpiceret, & ſic truncus, quem quæſiviſſet, rurſus ex ſpeculo iſtum retro conſpiceret. Hoc ſimulacrum faciei Coloſſi iconicum pro ſigno urbis dictæ mnemonico habetur.

Poſonium in Hungaria ſequentia habet ſigna mnemonica: 1. ſacrarium, (*Sacriſtey*) templi cathedralis, quod immediate mœnibus adjacet, extra urbem & murum exſtructum; hinc ſacrificulus nunquam non debere prius in ſuburbium ire & veſtes ſacrificas (*Meſs-Gewand*) induere dicitur, quam in templo cathedrali urbis ſacrum facere & miſſam cantare poſſit.

2. Parvam aream, præterpropter duarum ulnarum capacem, tetragonam, ſiliculis parvis ſtratam, ad curiam. Si maleficus & noxius quidam ad hanc fuga pervenire poteſt, in loco tuto ab interitu retrahitur & vitæ periculo eripitur.

3. Columnam ad portam, *das Wederitzer Thor* dictam, in qua Servator mundi, Chriſtus, ut Jupiter fulminans, qui criſpiſulcantia ſua fulmina in urbem ſagittat, ſedet. Judæus quidam

quidam nomine Johannes Fabri, qui Annis 1712. 13. 14. hic loci, ut plebanus parochus & canonicus, aſtute officia ſua adminiſtravit, & poſtea veſtium ſacrificarum furto patefactus ad carceres perpetuos damnatus, in grati animi declarationem, quod populus peſte lethifera liberatus, hanc erigi curavit. Romano-Catholici iſti honorem tribuunt inſignem & peculiarem præſtant reverentiam.

Pragenſis urbis pars minor, vulgo *die kleine Seite*, quæ admodum tamen magnam per ſe conſtituit civitatem, pro ſigno mnemonico monſtrat craſſam & ingentem populum in ſic dicta *Eulen-Mühle*. Hæc arbor octo orgyas in peripheria habet, læte viridibus adhuc gaudet frondibus, quod ad medullam internam a fulguris igne excavata, quæ cavitas ejusdem interior pronunc tam ampla, ut molitor in hac excavata arbore porcorum, quam alit, familiam, non aliter ac in hara, educare & ſaginare poſſit. Dicta populus plus mille annos vixit.

Ad turrim quandam in ponte *Pragenſis urbis veteris*, per totam Europam famigerato, quinque minores anates, quæ pro ſigno turris mnemonico habentur, videndæ. Vulgus ſuperſtitione imbutus ſibi firmiter perſuaſum habet, hominem ſpurium, ex illegitimo toro natum, non poſſe, omnes quinque anates videre. conf. D. Carol. Adol. Redels *ſahenswürdiges Prag. p.* 313.

Signum mnemonicum urbis *Quedlinburgenſis*, vid. in Ep. Itinerar. XIX. Memorabilia Quedlinburgenſia exhib.

Ratisbona, Romanis *Regina caſtra* olim dicta, pontem lapideum admodum longum, undecim magnis fornicibus impoſitum, habet. Hic præclarus pons in tota Germania firmiſſimus, &, poſt Dresdenſem, maximus, Anno 1115. ab Imperatore Henrico V. exſtructus dicitur. Sequentia in iſto ſigna

 mnemo-

Digitized by Google

mnemonica ſunt videnda. 1. Puer, vel potius vir quidam, ſtatura corporis parva, ex ſaxo cæſus, in culmine tecti cujusdam molæ, quæ ad pontis latus dextrum exſtructa, ſedens, & manum fronti applicans, intuetur oculis iſtum virunculum, qui ſe de turri templi Canonicorum cathedralis ſ. St. Petri, ob amiſſam in certamine gloriam, præcipitat, caput in pileum conjicit; nam labore hi duo inter ſe certarunt, qui prius ſuum opus arduum, unus in manibus exſtructionem turris habebat, & alter pontem ex lapidibus componebat, conficeret. Cum vero pons, cacodæmonis adjutorio, primodum fabricatus fuerit, conditor turris a ſpe derelictus, ex animi abjectione, de turri ſe præcipitem dedit. 2. Bini ſibi invicem oppoſiti, in lapidem cæſi, galli, quos conditor, perfecto ponte, ab initio per eundem miſit, cum diabolo, pro adjutorio ſuo in exſtructione pontis præſtito, ſe velle ei donare & tribuere tria iſta, quæ, abſoluto ponte, per iſtum prius currerent, promiſiſſet.

3. Canis ex ſaxo exſculptus, qui ſimul, poſt gallos, ab initio per pontem miſſus, diabolo in prædam ceſſit. Similis farinæ fabula de ponte diabolico Helvetiæ & laniatione canis apud Scheuchzerum in ſic dictis Natur-Geſchichten des Schweitzer-Landes Part. III. Wöchentl. Erzehlung Num. IX. p. 44. 45. refertur.

4. Lacerta permagna lapidea infra ad pontem, ex aquis Danubii quaſi aſcendens.

5. Lapis minimus in lapide maximo, nam lapis quidam parvus lapidi cuidam permagno in medio inſertus. Hi bini lapides dicuntur eſſe maximus & minimus ad exſtructionem pontis uſurpati.

6. Lo-

Digitized by Google

6. Locus, in quo totus pons unico lapidi innixus eſt; & ex quo olim malefici, de ponte dejecti, aquis ſubmerſi fuerunt.

Monaſterium St. Emmerani Epiſcopi & martyris, cujus reliquiæ hic in ſarcophago argenteo quiete jacent, pro ſigno mnemonico habet puerulum in lapide exciſum, cujus manus ſex digitos exhibent.

Pinacotheca in Prætorio Ducum Brunſvic. & Lüneb. amœno, *Saltzdalum*, quod certe ædificium ſplendidum, rege dignum. atque in deliciis quod ad hortum æque ac palatium nulli in Europa ſecundum, $\frac{1}{2}$ mill. Wolffenb. diſtant: quæ nullis non rebus naturalibus curioſis & artefactis rarioribus referta, in quodam conclavi pro ſigno mnemonico advenis & peregrinantibus offert ſtatuas a ſedulo gregis ovilli cuſtode ex ligno, mediante cultro, ſcalptas, exhibentes eccleſiæ collegiatæ virginum ſacrarum Præpoſitum, voce canora acuta lacrymabundum, in ſella ſedentem, cui impudens catus membrum virile, patrem omnium populorum & gentium, mordicus abripuit. Collegii cathedralis Domina nec non alia monacha vehementer doloroſæ, ſed mox furore inflammatæ, ob furtum a peſtia rapaci commiſſum, & vulnus inſanabile, clava lignea dura cato ſicario vitam, momento citius, eripere minitantur. Adeſt icon harum perſonarum & beſtiæ in magnitudine naturali, cum quadam lepida inſcriptione. Tab. II.

Scheningenſe oppidulum, Ducatus Brunſuicenſis, monſtrat locum, in quo Willigiſi, Archiepiſcopi Electoriſque Moguntini pater; haxamurgus ſeu carpentarius, *ein Wagener, Stell- oder Rademacher*, ad portam, qua ad ſalinas eximus, habitavit. Domus eius quidem ſæviſſimis incendiis, quibus incolæ a Deo puniti, ablata, ſed anno. 1568. reædificata

 eſt.

Digitized by Google

eſt. Dictæ huic modo domui radis quidem, ſed notabilis admodum figura inſculpta, quæ oppiduli ſignum conſtituit mnemonicum, nam parieti ex querceis facto aſſeribus, una cum imagunculis aliis inciſa parum affabre *Rhedæ rotæ* que cernitur figura, ea propter a maioribus repetita, ruſtice quamvis expreſſa, ut ratione Willigiſi, eo in loco patre rhedario procreati memoria eo melius ſeram ad poſteritatem transmitteretur & ſic ab oblivione ſaltim viudicaretur. Confer. Sigismund. And. Cunonis, Rectoris Scheningenſ. celeberrimi, Memorabilia Scheningenſia. p. 85.

Tab. I. Fig. V

Ulma, libera Imperii urbs, huius ſignum memoriale videndum in templi ſacrario, nempe folium chartæ luſoriæ, in quo tintinnabula depicta, *ein Schellenblat*; tabula tatruncularia, *Brett-Spiel*, & felis. *Vallis Divæ Mariæ*. cœnobium Ducatus Brunſvicenſis, $\frac{1}{2}$ mill. Helmſteto diſtans, monſtrat 1) effigiem ſic dicti *Eulenſpiegels*, viri notiſſimi ridiculoſi, coloribus parieti in periſtylio, proxime ad templi januam adpictam. 2) Scalas, nomen ab hoc ſubabſurdo viro retinentes, ex prætorio ad templum ducentes, ex quibus tempore nigro nocturno, juſſu abbatis, gradu uno vel altero ſcalarum remoto, monachos, ad horas ſacras in templum euntes, numeravit prolapſos. Improbus hic homo per aliquot tempus in hoc monaſterio oſtiarius fuit. confer. Ejusdem viri inepti vitæ curriculum, fata ac facta riſu digna lingua Teutonica conſcripta. 8v.

Vienne Auſtriæ, non procul a templo D. Stephano ſacro, in ſic dicto loco, *Stock im Eiſen*, ad domum quandam truncus arboris, tres præterpropter ulnas altus, clavis ferreis undique in ſuperficie ita transfoſſus, ut de ligno parum vel nihil amplius videndum, advenis oſtenditur. Hunc truncum Zona ferrea cum cloſtro ambit. Traditionem urbis incolæ ſequentem narrant: Locum, in quo nunc temporis Vienna

ſita,

Digitized by Google

ſita, olim ſylvam horridam fuiſſe, & truncum dictum eſſe adhuc ſuperſtitem relictum ex iſtius ſaltus arboribus. Cum vero perplures homines ex ſuperſtitione, in ſpecie artium mechanicarum ſtudioſi ex locis peregrinis adventitii, nunquam non portiunculam ſ. feſtucam quandam ex iſto deraſiſſent, ſecumque ad lares ſuos patrios deportaſſent, magiſtratum loci coactum fuiſſe, iſtum, ut res tam antiqua tamque memoranda in urbe conſervaretur, clavis ferreis, quibus totus cortex incruſtatus, ab ulteriori læſione & cæſione defendere. Faſcia ex duro ferro conflata totum quoque in medio ambit, adjecto cloſtro, quod nemo, ut vulgo dicitur, aperire poteſt. Magicus quidam clauſtrarius ſodalis, qui pactum cum diabolo habuiſſe perhibetur, opera adverſarii dei & piorum hominum hoc cloſtrum paraſſe, &, cum ad faſciam applicaſſet & obſeraſſet, clavem, quæ nunquam amplius videri potuit, in aëra miſiſſe traditur, ſed Satanas iſtum nebulonem, ſimul cum clave, ex hominum oculis in infernum damnatorum abduxiſſe creditur.

Wetzlariæ, liberæ Imperii civitatis, ſignum mnemonicum eſt proverbium:

Zu Wetzlar auf dem Dom,
Sitzet der Teuffel auf der Nonn.

Wolffenbüttelæ ſupra portam, *das Damm-Thor* dictam, lupus lapideus ex caverna quadam in muro relicta proſpiciens loco ſigni memorialis habetur. Hic lupus ſunt inſignia Nobilium Dominorum de Wolffenbüttel, qui olim, ante ſecula, & Ducum Brunſuicenſium tempora, hujus loci poſſeſſionem tenuere quorum vero poſt integra familia vitæ exitum habuit.

Wormatiæ ſignum mnemon. vid. in Burnets Reiſen durch die Schweitz und Italien Part. II. p. 290.

Reliqua

Reliqua, quæ reſtant, in ſequentibus. Vale diutiſſime, Muſarum delicium, & amare perge Tuum Brückmannum, qui Tibi, Vir Excellentiſſime Tuæque gloriæ optime cupit. Wolffenb. Menſe Novembr. 1736.


EXCELLENTIÆ T.
OMNI OBSERVANTIA STVDIOQVE
ADDICTISS.


BRVCKMANN. D.

S 943089

Digitized by Google

Tab: I. Ad: Ep: It: XLIX.





Digitized by Google

Digitized by Google



Hier iſt was ſeltſames! die Katze hat entwendet,
Dom Probſtē wie ihr ſeht, ſein Patrimonium,
Er ſchreiet jāmerlich u ſieht ſich darnachum,
Viel tauſend fluch er ihr mit offnen haltz nach ſendet.

Dis Kan die
Sie Klagt ū
Der Liebſtē
Dan̄ Künftig

Digitized by Google